

1587.

1. Gualterius, Rudolphus: Thematia phisico optica

1591.

1. Matthaeus, Philippus: De contracta emptioventico

2. Matthaeus, Philippus: De exheredationibus.

1593.

1. Matthaeus, Philippus: De successione ab intestato  
una cum discrepantia juris feudalis & civilis.

1594.

1. Hellingus, Martinus: De plebitoria.

1600

1. Borenhard, Henricus: Romanus princeps, ex  
lege Regia informatus.

1605.

1. Antonius, Godefridus: De judiciis

1609.

1. Guedanus, Johannes: De emptione venditione.

1610.

1. Combesius, Johannes: (De potentia).

2. Kirchnerus, Hermannus: Notiones aliquot  
ex ipsis Johanni et politicorum fontibus annotationes.

1613.

1. Combachius, Thomas: Idea demonstrationis ex  
Aristot 1. post ab aliisque bonis interpretibus,  
ταχρως καὶ τυτρωπῶς concinnata.

1614.

1. Combachius, Thomas: Positiones miscellaneae.  
1617. Combachius, Thomas: Positionum miscellaneorum agrorum  
1618. sedesim.

1. Deitmann, Christophorus: De jure laborum et  
curatorum.

1620.

1. Coeh, Caspar: De regali dignitate et feudis rega-  
lem dignitatem americanam habentibus.

1624.

1. Antonius, W. Melchior: De subfendis.

1628.

1. Hamius, Melchior Melchior: De jure dotium.

1629.

1. Hamius, Melchior Melchior: De judaeis eorumque  
junctis et privilegiis

1639.

1. Reiche, Julius Eberhard: De collatione bonorum.
2. Tilmanus, Jod. : De signaturis herbarum.

1646.

1. Gualtherus, Johann: De cambis.


1657.

1. Hagen, Johann Mauritius: De jure municipalis  
sen & statutario

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*









3096

2.

1610, 2.

10

DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA  
NOBILIORES ALIQUOT  
EX IPSIS JCTORUM ET POLITICO-  
rum fontibus assertiones exhibens;

Quam  
*Divino Assistente Numine*  
SUB PRÆSIDIO  
Clarissimi, & Consultissimi viri

DN. HERMAN  
NI KIRCHNERI I.V.D.C.P.

CÆSAR. HISTOR. & ORATOR. PRO-  
fessoris celeberrimi, præceptoris sui omni ob-  
servantiæ cultu prosequendi,

IN CELEBERRIMA MAURITIANA CATTO-  
rum Academiâ publica disquisitioni subjiciet, & pro vi-  
rium portiunculâ defendere adnitetur

GVILIELMUS STRASBURGUS LIPSENSIS  
MISNICUS.

*Marpurgi Cattorum*  
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri  
Anno 1610.



SENATVI REIPV.  
BLICÆ NORIBERGENSIS  
NOBILISSIMO, VIRIS NEMPE MAGNIFICIS  
Amplissimis & Consultis. Dn. Consulibus & reliquis or-  
dini Senatorio addictis viris lauda-  
tissimis,

*Dn. Patronis & fautoribus meis summè colendis;*

NEC NON:

Magnifico, nobilissimo ac consultissimo viro,  
DN. D. ANDRÆ KNICHEN IN *Freckleben* &c. Sere-  
nissimi Electoris Brandenburgici consiliario intimo,

UT ET:

*Nobilitate generis & virtute prestanti viro,*  
DN. PETRO A WESENBECK, IN *Waldau* &c.

*Dn. patronis, affinibus, ac tutoribus suis eternum  
honorandis,*

Hanc statuam Politicam in devotæ gratitu-  
dinis monumentum inscribitac dicat  
A. & R.



THESIS I.



*VIM omnium animantium generi à naturâ attributum sit, ut se suamq; vitam tueantur avertantq;, quæ sibi nocitura videntur, recte defensionem vel usq; ad debilitationem vel interneccionem aggressoris omni jure, non solum naturali gentium & civili, verum etiam Canonico & divino licitam esse statuimus.*

*Cic. lib. 1. off. Idem. 2. de fin. Quia aggressor non ab alio sed à seipso lædi videtur. Clem. unic. de hom. l. si ex plagis. §. 2. §. tabernarius ff. ad l. Aquil. & per consequens provocatus non censetur esse in dolo. Deinde, quia necessaria defensio doli presumptionem excludit c. 1. §. si quis hominem in us. feud. de pac. ten. & ejus violat. Et vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittunt l. scientiam 45. ff. ad l. Aquil. Si omnia jura. E. naturale. Arum. 1. Pandect. disp. th. 1. Et injuriæ propulsio juri gentium ascribitur in l. 3. ff. de just. & jur. l. 1. C. unde vi. l. 2. 3. 4. C. ad l. Cornel. de Sicar. Treutler. part. 1. disp. 1. per. Clem. un. de hom. Hinc etiam Canonistæ, referente Hippol. in pract. crimin. §. quoniam, num. 75. scribunt; Clericum sacra agere volentem posse in vasorem occidere in Ecclesiâ impune, & postea coepta sacra perficere Exod. 21. v. 13. Quia Christus piis fugam concedit, & per consequens etiam defensionem; si absq; periculo fugere non possunt. Quia in Johanne pro salute fratris vitam nostram in discrimen abducere jubemur. Licet igitur defendere proximum*



num. Si proximum. E. multò magis nos ipsos, qui philauti esse debemus. *Clariss. dn. praeceptor. Goclen. quest. Ethic. in fin.*

II.

*Quam tamen defensionem non ita simpliciter, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ adhibito concedimus.*

Quando sc. quis non aliter adversus vim atq; injuriam, quæ infertur, se tueri, atq; adeo nec mortis vel alterius gravioris offensionis periculum evitare potuit, quàm si adversarium suum ipse interficeret vel debilitaret *l. 5. in pr. l. 45. § 4. ff. ad l. Aquil. l. 2. & 3. C. ad l. Cornel. de Sic. l. pignore 54. §. furem ff. de furt. Boc. lib. 2. de jur. pugn. cap. 9. pag. 169.*

III

*Difficilis & obscura est questio: An princeps sit legibus solutus? Affirmativam tuebimur.*

Duæ sunt hîc inter se distinctæ quæstiones (ut inquit Andr. Scheps. de hac quæst.) una de voluntate principis, altera de obligatione. De obligatione non est principis sibi leges scribere, quia nulla necessitas est imposita principi, cujus respectu est supra leges. De voluntate verò si quærat, dicimus, quòd ad verecundiam & modestiam principis pertineat, ne quid ex imperii lege sibi licere patiat *l. 4. C. de ll. l. 3. C. de testam.* Etsi enim illi legibus soluti sint; tamen ratione honestatis secundùm ll. vivunt. Quodcumq; enim principi placet, legis vigorem habet. *§. sed & quod principi, Instit. de I. N. G. & C.* Atqui princeps dd. ll. declarare voluit, quid honestatis esset: ratione igitur honestatis placet, se adstringi ll. non ratione subjectionis. Semper enim id vult & velle debet princeps, quod juris est: quia est vir bonus. Idèq; honestatem licet non coactus sequi tenetur, licentiamq; suam legibus alligare, quòd in iis justitia & cæteræ virtutes contineantur: quæ honestas etiam in bonis principibus semper fuit: quorum idcirco laudes ex hoc ipso capite magnoperè à multis sunt decantatæ, quòd sc. cum essent legibus

so-

269  
soluti, legibus se ipsos subjecerint. *And. Sceps. s. all. lo.* Verùm si  
naturæ & gentium princeps non est exemptus. Unde & pacta  
& contractus, cum subditis initos, servare tenetur, ex iisq; obli-  
gatur efficaciter. *VVes. in. Parat. ff. de const. princ.*

IV.

*Non minus pulcra, quàm inter Politicos valde agitata est  
Questio: An vita solitaria sit commendanda? Quod rectè  
negatur.*

Cum enim homo naturâ suâ sit animal politicum, & so-  
ciabile, certè Eremitica vita, in qua sunt homines *μὴ κοινωνοί*, in  
Christiana Rep. non erit toleranda. Quia contra ipsam na-  
turæ rationem est, ut quis monasticè ac solitariè vivat, cum na-  
tura duce quisq; mortalium sit appetentior societatis quàm so-  
litudinis. Quare non minus verè quàm eleganter exclamavit  
Cic. Non nobis solum nati sumus, sed ad DEI gloriam amplifi-  
candâ ortus nostri partē patria, partem parentes, partem reliq;  
mortales sibi vendicant. At verò quomodo proximi nostri  
commoda promovere possumus, nisi societati nos aggregemus?  
Et hinc est, quòd sacræ literæ hanc vitam detestantur,  
eamq; inter maledictiones referunt. ut videre est *Gen. 4. vers.  
14. Deut. 28. ver. 64. & 65. Ps. 36. & 144. v. 14.* Deniq; civiles Im-  
peratorum leges ac statututa hanc vitam improbare videntur,  
ut constat *ex l. 26. C. de Decur. Ita enim habet: Quidam ignavia  
sectatores desertis civitatum muneribus captant solitudines &c.*

V.

*Scrupulosa, anceps & lubrica inter Politicos est digladiatio:  
An foemine imperare debeant? Quod planè negamus.*

Quia nihil absurdius aut vanius esse potest, quàm impe-  
rium, mulieribus à natura negatum, lege aliqua humana ad  
illas deferre velle. Foeminas enim, (ut *Anton. de Guevar in Ho-  
rolog. Princ. dicit.*) natura imbecilles, fragiles, meticulosas, soli-  
tarias, incircumpectas, delicatas, teneras, & ut præ viris domi-  
nentur,

nentur, non satis sapientes, idoneasq; esse experientia testatur,  
 Atq; ut feliciter regnum gubernet imperans, consilium, animi  
 constantia, fortitudo, liberalitas, taciturnitas requiritur. At his  
 omnibus mulier destituitur. 1. Consilio; quia debile & imbellè  
 est consiliū mulierū, exilis intellectus, tenue iudiciū, ut latissimè  
 demonstrat *Cagn. l. 2. ff. de R. I. 2.* Animi inconstantia. Omnes scri-  
 ptores testantur, animo muliebri nihil esse incōstanti, ut de il-  
 lis verissimè cantaverit Poeta: *Variū & mutabile semper Foemi-  
 na: 3.* Fortitudine. Naturā illis vim ac fortitudinem negasse, do-  
 lo verò munivisse, affirmat Senec. 4. Liberalitate. Si mulierum  
 genus avarissimum est foemina, certè liberalis esse non poterit.  
 At prius verum ex *Accurs. in l. Sed si ego. ff. ad S. C. T. m. Vellej. E. &  
 posterius.* Et contra sexus muliebris naturam est, ut foemina lar-  
 giatur, *Ulp. in l. 33. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. 5.* Taciturni-  
 tate. Quæ, quæso, mulier unquam muta reperta fuit, cum nulli  
 non dici possit rectè: Rimarum plena es hac illac perfuris, *Te-  
 rēt. in Eunuch.* Huc etiam illud accedit, quòd foemina ab om-  
 nibus officiis civilibus removentur *arg. l. 2. ff. de R. I.* Quantò  
 magis itaq; removebuntur ab Imperio Politico, quod longè su-  
 perat ejusmodi officia civilia. Deniq; honesta hæc virginis a-  
 pud Ovid. oratio omnibus mulieribus nota esse debet:

*Foemina sum & virgo, naturâ mitis & annis,  
 Non faciunt molles ad fera bella manus.  
 Quid mihi cum ferro? quid bellica tela puellæ?  
 Aptior est digitis lana colusq; meis.*

VI.

*Celebris est controversia: An usurae sint tolerandæ? Nega-  
 tivam sententiam veriore esse evincemus.*

*Usuræ Hæbræis Nescheck à mordendo & corrodendo di-  
 cta Crug. quest. Eth. 55. Ut enim serpentis morsus initiò non per-*

percipitur, nec sentitur, paulò verò post inflatur homo, & dif-<sup>271</sup>  
funditur effectus veneni per totum corpus: Sic usuræ malum  
non quidem sentitur in principio, sed postea ita ingravescit, at-  
que accumulatur sensim, ut devoret totam hominis substan-  
tiam. Ac quemadmodum ille, qui aspidis morfu percutitur,  
quasi delectando inclinatur in somnum, ac per suavitatem lethali-  
s soporis moritur, eò quòd venenum inter dormiendum per  
omnia membra reperit: Ita qui pecuniam ab usurario accipit,  
in presenti quidem quasi beneficio effectus sic gaudet; verùm  
usura per omnes illius facultates decurrēs totū convertit in de-  
bitum; *Iob. Gerb. in q. Pol.* Quare præclare inquit *Cic.* Detrahere  
aliquid alteri, & hominē hominis incommodo suum augere  
commodum magis contra naturam est, quàm mors, quàm  
paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt homini ac-  
cidere. Neminem debere cum alterius damno fieri locuple-  
torem vult *l. 14. ff. de cond. indeb.* Sed qui usuras accipit, lo-  
cupletatur cum alterius damno & jactura. *E.* contra jus na-  
turæ facit, qui usuras accipit; & per consequens usurarii in Re-  
pub. ferendi non sunt, cum salus populi suprema lex esse debe-  
at. Hinc etiam passim damnantur jure divino. *Exod. 22. v.*  
*25. Deut. 23. v. 19. Psal. 15. v. 15. Luc. 6. v. 34. &c.* Unde etiam ju-  
re civili usurariis indicitur poena infamiæ. *l. Improbum fœnus.*  
*C. ex quib. caus. infam. irrog.*

### VII.

*Judices sæpè suspensos tenuit hæc Quæstio: An Ebrius  
committens flagitium mitiori pœnâ afficiendus sit, quàm sobrius?  
Distinctionis mediolitem determinabimus.*

Aut tanta est ebrietas, tamq; vehemens, ut homini men-  
tem & rationis usum adimat, & tunc quia in tali homine nulla  
ratio, nullum judicium, nullum rectum vitæ gerendæ consili-  
um, meritò excusatur per *l. omne delictum. ff. de re milit. l. unic.*  
*C. si quis Imperatori maledixerit.* Aut parva est ebrietas,  
quæ

quæ nullam gestorum aufert memoriam, & cum ex proposito crimen perpetrari videatur, nullam meretur excusationē. Aliàs sobrium flagitia committentem maiori pœna esse afficiendum quàm ebrium explorati juris est *c. sanè. c. 15. q. 1. & c. inebriaverint. ib.* Qui enim gravius peccare potest, gravius est puniendus. At sobrius gravius peccare potest, quàm ebrius. E. etiam gravius erit puniendus. Minor constat: Qui enim peccat ebrius potest quidē alterum lædere, sed non injuria afficere, eò quòd peccet, perinde ut feræ ac jumenta. Dissentit *l. Pittaci* veteris, qui ebrietatis commissa duplici supplicio afficiendos esse censuit. *Plut. in Polit.* Nos rectiùs eandem legem non quidem ebrietati sed ebriositati delinquenti imponimus. *gl. in c. unum si criminis. dist. 25. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 27. & seqq.*

VIII.

*Celebris sed valde spinosa & nodosa propter multiplices Politicorum sententias emergit Questio: An Electio successioni sit preferenda? Quod affirmatur.*

Electio enim ut naturâ prior & antiquior *Lips. lib. 2. Pol. c. 4.* ita etiam melior *Tolos. lib. 7. c. 15.* per quam institutam ritè sèper possumus idoneum & optimum accipere regem, *Arnis. pol. c. 9.* Ipsa enim optimum quærit ac invenit. *Tac. 1. Hist.* Quæ certè ratio multum ponderis continet, cum evincat, electionē ad reip. salutem (quæ suprema lex esse debet) dispositam ac per omnia accommodatam esse *Crug. polit. disp. 4. th. 48.* Hinc Alexander M. in agone rogatus; Quem sibi successorem vellet? Non de fratre Arideo, non de Roxane prægnante, non de Hercule filio respondit, sed sibi optimum ac dignissimum succedere jussit. Similiter etiam Conradus I. Imperator cum ex proximis agnatis non inveniret aliquem, qui imperii moli sustinendæ esset, Henricum Aucupem hostem suum relinquere maluit, tantùm ut imperio dignus præesset Imperator, *Peucer. Chron. l. 4.* Unde elegantem *Casus in Spherâ civit. lib. 3. cap. 11.*  
nobis



nobis subministra rationem: Virtus, inquit, semper certior dux <sup>273</sup>  
est, quàm natura; quæ nullâ stirpis habitâ ratione sua partitur  
dona. Electio autem fit secundum virtutem. E. Principis autem  
filius, qui in purpurâ educatus, in delitiis natus, nec alterius im-  
perio subjectus fuit, Unde sciet, quomodo erga principes subdi-  
ri affecti sint, aut quid sibi ab illis fieri velint. *Arnis. S. all. loco.*  
Heroum etiam filios noxas esse verissimè dictum est. Principes  
enim ob ardua negotia, quibus implicantur, liberos suos ne-  
gligentius institui curant. Iuventus autem neglecta sylvescit, ut  
ait Fulg. præsertim si indoles ipsa ad vitia sit proclivis. Quò per-  
tinet illud Horatii:

Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.

IX.

*Alta, subtilis & de apicibus Politices est hæc Questio: An Prin-  
ceps bene fundatas Academiâs plenitudine potestatis vicissim ab-  
rogare & tollere possit & debeat? Negantium sententia subscri-  
bimus.*

*Arg. l. privilegio. 12. C. de Sacr. Eccles. l. 26. in fin. eod.*  
Nam quæ semel Deo dicata sunt, converti aliorum non pos-  
sunt. Nec ornamenta & publica commoda destruenda, sed au-  
genda l. 3. C. de pagan. Quod verò decus, quod lumen Imperii  
majus quàm Academia? Quod Imperator Fridericus animad-  
vertens, studentium in Academiis scientiâ totum illuminari  
mundum veritatis impulsu prædicavit. *in auth. C. ne filius pro  
patre.* Et hinc factum est, ut tot actanta literatorum ordini con-  
cessa sint privilegia. Ex concessione enim Honor. & Theodos.  
Impp. Professores fiunt comites & illustres l. un. C. de profess. qui  
*in urb. Constit.* Ita etiam studiosi multis donati sunt privilegiis  
*in d. Auth. C. ne filius pro patre.* Videatur etiam l. 3. 5. 8. C. de pro-  
fess. & medic. l. 11. de muner. & honor. *Novell. 131.* Ut enim oculi  
sunt in corpore: Ita Academiæ sunt in civitate. Atq; ut ocu-  
los evellere natura prohibet: Ita etiam Athenas tollere Justitia  
prohibet. *Cas. lib. 5. c. 11.*

B

Hæc

## X.

*Hæc quoq; Quæstio multiplicibus Politicorum rixis & sententiis nobilitata est: An Choreæ sint ducendæ? Quod constanter affirmamus.*

Quicquid enim delectabilem affabilitatis usum graphicè ante oculos ponit, & comitatis legitimum modum docet, illud in Rep. Christiana est tolerandum.

Atqui honestæ saltationes faciunt hoc ipsum; quia sunt virtutis, nimirum affabilitatis & comitatis. E. sunt tolerandæ. Sumimus autem hoc loco choreas non pro lascivis corporum motibus, in gyro factis, quibus inflammatur Venus: sed pro ordine & harmonia virtutis decoro corporis motu ad vivum expressis, in quibus ipse David olim delectabatur sanctus. Si itaq; saltatio civilis per se esset peccatum, certè scriptura sacra non posset saltationem spirituales Metaphoricè civili illa & externa saltatione explicare. Metaphora enim est, quando simile explicatur à simili, & non à contrariis. At explicat. Ergo aut civilis saltatio est peccatum, aut saltatio spiritualis itidem est peccatum, quod sine blasphemia nemo confirmabit. Hinc etiam sacræ literæ saltationes non damnant, cum saltationes suum tempus habere affirmant, ut constat *ex Eccles. c. 4.*

## XI.

*Ambiguo Marte hæc Quæstio agitur: An bellum sit gerendum? Quod de re affirmatur.*

Furiosi Catabaptistæ, infensissimi ordinis Politici osores, bella contra ll. divinas & humanas esse contendunt: In bello enim pietatem exulare, dominari flagitium; imò bellum gerere peccatum esse, acriter propugnant. Nos verò bella non solum non peccatum, verum etiam omni jure divino & humano (quippe cum Deus non tantum illa præceperit *Exod. 17. v. 14 Jos. 1. v. 2.* sed etiam ipse aciem instruxerit *Deut. 20.*) licita & cõcessa esse dicimus, si scilicet justa & sufficiens causa adsit. Ubi-  
cunq;

275  
eunq; igitur iusta causa non est, ibi bellum etiam iustum non e-  
rit. *Sueton. Tranquil. in vitâ Cesarum. lib. 11. c. 20. dicit:* Ex o-  
mnibus Romanorum principibus nullum populo cariorem,  
nullum omnibus in bellis feliciorum Augusto fuisse: quippe  
cum princeps ille optimus nullum unquam bellum moverit,  
quin gravissimam illius suscipiendi causam habuerit. Contra  
verò Gallos vetustos acriter reprehendit, *teste Liv. lib. 5.* quod  
gustato Italiae vino mox surreptis armis ad subigendam illam  
profecti sint, cum aliam nullam haberent vel magnam vel par-  
vam faciendi belli causam; atq; ita pro vino Italico sanguinem  
mutarunt proprium. Sic etiam Longobardis in Pannonia  
degentibus nunciatum fuisse legimus, Italiam pomis dulcibus  
carne succi plena, vino odorato, pulcris foeminis, piscium vari-  
etate abundare, & rara frigora, temperatosq; calores habere.  
Quo nuncio accepto rerum illarum cupiditate inflammati ar-  
ma Italiam occupaturi sumserunt, non ut hostes ulciscerentur,  
sed ut uberiores vitiorum ac deliciarum materiam haberent,  
in Italiam venerunt. Qua de repulcrè scripsit Augustinus: Mi-  
litare non est delictum, sed militare propter prædam est pecca-  
rum. Quare cum Moses, Josua, David jussu divino bella ges-  
serint, certissimum erit, bella legitima DEO non displicere, quæ  
pro populi sui defensione suaque gloria propaganda suscipi-  
untur.

## XII.

*Elegans & non infrequens est Quæstio: An stratagemata  
sint licita? Quod rectè affirmatur.*

Hac de re audiamus Periclem loquantem: *Tutius est, in-  
quit, imò & præclarius ingenio hostem & ratione quàm ferro  
vincere.* Unde etiam Canones, referente Hippol. & Coll. in  
*princip. c. 22.* ajunt: Cum bellum iustum susceptum est, utrum  
aperte pugnet princeps, an astu nihil interest ad justitiam. De  
Annibale hoc legimus, cum nunquam sine callido consilio  
bella

bella gessisse, prælium vè commisisse; Magnorum enim ducum ista æstimatur gloria, si victoriam sine periculo consequantur, *Veget. lib. 3. c. 9.* Quare etiam bellorum furta pulcherrima à Xenophonte nuncupantur; Et ipse Deus Josuæ præcepit, ut fruatur insidias urbi Hai, & regi illius *Ios. 8. v. 2.* & sic ad Davidem præliaturum ait: Gyra post tergum eorum *2. Sam. 5. v. 23.* Sic etiam Impp. leges ac statuta (*Clar. dn. Goclen. quest. Ethic. 106.*) illud Poëtæ Dolus an virtus in hoste quis requirat, probant & suffulciunt: *arg. l. non. solùm C. de Commerc. & mercat.*

XIII.

*Nobilem & insignem hanc Questionem movere placet: An Monomachia sit licita? Affirmatur.*

Monomachia secundum *Tolos.* est singulare certamen duorum hominum, & solius cum solo: quam tamen nos non simpliciter concedimus, neq; licitam esse dicimus, sed tantum hoc in casu, ubi sine cæde civium controversia aliter componi non potest. Inter duo enim mala est eligendum id quod minus est; minoriq; cum Reip. jacturâ duo tantum pugnant, quam universa civitas sanguine civili perfunditur: Sic Paris cum Agamemnone; sic Hector cum Ajace: Sic David cū Goliatho duellum inierunt. Unde etiam civilia jura ejusmodi duella non improbare videntur. *Arg. l. quâ act. §. si quis in colluct. ff. ad l. Aquil.* Nam si exercitui justo cum exercitu in acie configere licet, quid causæ, quò minus solus cum solo manus conferere possit? *Arnis. lib. cap. 5.*

XIV.

*Pulchrè disputatur: An leges mutari debeant? Affirmantium sententiæ contradicimus.*

Legum enim correctio est vitanda *l. precip. C. de appellat.* Ergo multò magis earum abrogatio erit vitanda. Ab eo itaq; quod diu æquum visum fuit, non recedendum est, nisi evidens suadeat utilitas *l. 2. ff. de constit. princ.* Si enim omnis mutatio,

se-

secundum proverbium, est periculosa; legum sanè mutatio 277  
est periculosissima, præsertim si sit subitanea & inconsueta,  
Ut enim in corpore victus mutatio, si sit inconsiderata, in-  
consueta & subitanea, morbum: Ita etiam in civitate legum  
mutatio si sit inconsiderata & subitanea, malum gignit.  
*Reckerman. disputat. Polit. 30.* Atq; ut magna cum cura ferendæ  
sunt leges, ita semel latæ non facile sunt abrogandæ. *Arnif. c. 18.*  
Unde etiam leges sanctæ appellantur *in l. 9. §. 3. ff. de rer. divis.*  
quia sacras res nemo violare & tollere debet. Quo etiam re-  
spexit Paulus *in l. 23. ff. de leg.* mutationem istam reipubl. perni-  
ciosiss. judicando. Etiam si itaq; in lege quapiam aliquid rigoris  
occurrat, non tamen propterea ea mutanda: *Crug. disp. polit. 7.*  
sed potius usurpandum, quod Ulpian. habet *in l. perspexit. ff.*  
*qui & quibus. Dura lex est, sic tamen scripta est.* Non autem di-  
sputamus hic: An princeps plenitudine potestatis usus possit  
ill. immutare & abrogare? In talibus enim voluntas eius stat pro  
ratione *§. sed & q. princ. Inst. de I. N. G. & C.* Sed de hoc quæritur:  
An nimirum sit ex salute & utilitate Reip. ill. immutare & abro-  
gare? quod recte negatur. XV.

*Ambigua & perplexa movetur Questio: An Asyla sint fe-  
renda? Aff.*

DEUM ter Opt. Max. idè asyla constituisse in veteri Testa-  
mento, ut qui involuntariè hominem occiderit, in eo loco tam  
diu commorari possit, quoad deferveret vindicis ira, qui pro-  
cul dubio ulturus esset mortem amici. *Num. 35. vers. II. Deut.*  
*19. v. 2. Ios. 20. v. 2.* Quærimus igitur non de voluntario sed invo-  
luntario delicto aut homicidio. Qui enim fontes maleficii ali-  
cujus sunt, ex voluntate ad asyla confugere non possunt. Hinc  
homicidas voluntarios, adulteros, latrones, & virginum raptor-  
es jubet Imperator inde extrahere, eisq; supplicium inferre. *Nov*  
*17. c. 7.* Et notetur, quòd Deus ipse expressè eum avelli jubeat ab  
altarib<sup>9</sup>, qui data opera hominè interfecit, *Exod. 20. 2. Reg. 2. vi-*

*de Toloss. lib. 13. c. 23.* Cæterum maximam immunitatem asy-  
lis fuisse concessam *ex. l. 2. C. de his. qui ad Eccl. confug.* satis con-  
stat, in qua Imp. Severus sancit, ne quis ad S. Eccles. fugientes  
extrahat. Unde etiam asyli quondam vocati sunt homines,  
quos sine piaculo nemo tangere audebat. *Crug. quest. Eth. 36.*  
*Cor var. lib. 2. var. resol. c. 20.*

XVI.

*Indubitati juris est: Principes subditis suis venationis usum  
jure licito interdixisse, sibiq; vendicasse. Hinc autem venusta pul-  
lula scit Questio: An is, qui contra principis mandatum venatus  
fuerit, capitali pœnâ sit afficiendus? Sed adhuc sub iudice lis est,  
quod multis affirmare durum ac penè inhumanum videtur.*

*Arg. l. II. §. 13. ff. de poen. l. 3. §. item feras. de acquir. rer. domin.*  
Crudele enim est, ut inquit *Soto de just. & jur. libr. 4. quest. 6.*  
*Art. 4.* pœna corporali plecti ingredientes loca vetita venatio-  
nis gratia, sed satis esse, si ablatis plagis ac instrumentis duplum  
aut triplum solvant. Quæ sententia teste *Geil. l. 2. obs. 68. n. 10.*  
non solum pia, sed etiam juri & æquitati consentanea est. Nam  
aut feræ bestiæ jure gentium sunt communes omnibus §. *fera.*  
*Inst. de rer. div.* aut dominorum sylvarum propriæ. Si jure gen-  
tium communes omnibus, in nullius erunt domino: quod e-  
nim nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. *l. 3. ff.*  
*de acquir. rer. domin.* Ideoq; etiam venatio omnibus permis-  
sa erit. Si verò dominorum propriæ, & tunc pœna pecuni-  
aria vel extraordinaria carceris, aut alia similis pœna imponi  
potest: non autem pœna capitis, aut amissio alicujus membri  
*arg. l. un. C. de venat. ferar.* Cum itaq; pœna mortis aut abscis-  
sionis membri locum habere non possit, necesse est, ut alia le-  
vior aut mitior adhibeatur. Unde etiam jure Saxonico jam  
observari videmus *lib. 2. Art. 61. ibi:* Ubi DEUS creabat homi-  
nem, potestatem ei concedebat super omnia animalia, pisces  
& volucres. Quare testimonium divinum habemus, nemi-  
nem

nem eorum causa poenam capitale[m] vel aliam corporalem <sup>279</sup>  
mereri posse. *Schn. ad. tit. Instit. de rer. divis. Diss. Heig. part. 1. q.*  
*15. n. 80. Fachin. 1. controu. 1. Harp. ad tit. Inst. de rer. divis. Bronch.*  
*cent. III. assert. 76.*

XVII.

*An superflite Cesare, summoq; Principe, designari successor,  
substituig; possit ancipitis questionis tum inter ICtos, tum maxi-  
mè inter Politicos est? Posse & debere, utriusq; scholæ pace con-  
firmabimus.*

Est etenim unicum contentionum tollendarum reme-  
dium, quo omnia consilia spectare Reipub. oportet. *Bodin. de*  
*Rep. lib. 6. c. 5. Heig. p. 1. q. 6. n. 2.* Est interregni in Electivo im-  
perio evitandi medicina præservativa. *Cass. lib. 8. ep. 2. & 8.* Est  
tutissima conservandi imperii ratio, plurimorum veterum re-  
gnorum exemplis confirmata. *Tacit. Ann. lib. 1. Sig. de Regn.*  
*Ital. lib. 4. Heig. d. quest. 6.* Est à juris civilis rationibus non ad-  
cò alienum *Tiraq. de jure primog. q. 21. Molin. de primog. Hisp.*  
*l. 3. c. 6. Cagn. in l. final. C. de pact. n. 83. Heig. d. l.*

XVIII.

*Disputationem nostram concludat frequens & quotidiana  
hec questio: An pæna strangulationis, quâ hodiè fures afficiuntur,  
sit justitiæ & æquitati consona? Affirmativam tuebimur.*

Quia propter hujus delicti frequentiam Reipu. salus, ad  
cujus conservationem omnes leges referendæ sunt, nimum  
læditur. Et quanquam Dd. pro & contra disputent: An ho-  
die de jure scripto fures suspendi ac mori debeant: tamen notif-  
sima hæc est totius orbis consuetudo, quæ fures furca suspen-  
dit, quam licet Dd. improbant, falsò tamē nituntur. Quoties-  
cūq; enim multis grassantibus exemplo opus est, pœnæ augeri  
possunt. *lib. 16. § fin. ff. de pæn. ut pœna unius sit metus alterius,*  
Et lex est antiqua & perpetua: Quod non posuisti, non auferes.  
*Et 2. Sam. 12. v. 5. dicitur, furtum dignum esse morte, Si quis*

ve-

10  
verò in his rationibus non acquiescat, sed plures desideret, ei  
respondebimus: Non omnium, quæ à majoribus nostris in-  
stituta sunt, ratio reddi potest. *l. non omnium ff. de ll.* Siquidem  
Friderici animam & voluntatem judicavit Deus, cujus arcana  
hominibus cognita non sunt *Mench. 2. de arb. jud. qq.* Post-  
quam autem ll. jam constitutæ sunt, non de illis, sed secundum  
illas dijudicandum erit. *Set ser. disp. Justin. 28. th. 18. VVesenb. in  
Parat. Clariss. Dn. Præses in Repub. disp. 19. Coroll. 3. Diss. Zep. in ex-  
planat. ll. Mosaic. & alij alibi.*

---

### PRÆSES AD RESPONDENTEM.

Um bonem teneo: tu fortiter utere telo,  
Subq; meo clypeo Tydeus arma gere.  
Magnum est à teneris validas vibrasse sarissas,  
Inq; acie juvenes sæpè stetisse senum.  
Et cum Papyrio magnum est consulta Senatus,  
Scireq; civiles urbis & orbis opes.  
Hoc agis. & *Strasburge*, viam meditaris ad arces,  
Quas honor & patriæ curia clara tenet.  
I felix studii neq; te *Lybs* tramite flectat;  
Sed capiat sellis *Lipsia* celsa suis.

FINIS.




X 2615938

WDM







B.I.G.

Farbkarte #13

DICO-POLITICA  
 S ALIQUOT  
 ET POLITICO-  
 tiones exhibens;  
 te Numine  
 SIDIO  
 nsultissimi viri  
**RMAN**  
**RI I.V.D.C.P.**  
 ORATOR. PRO-  
 eptoris sui omni ob-  
 rosequendi,  
 BRITIANA CATTO-  
 tioni subjiciet, & provi-  
 endere adnitetur  
 ARGUS LIPSENSIS  
 CUS.  
 attorum  
 ni Hutvvelckeri  
 io.

2.  
~~1610, 2.~~  
 10  
 /

